operam huc suam conferente Deo, uel in dissidio maiore possem bene uertere tradita uiris bonis prouincia, id cum exiguum & leue est quod totum distinet, non explicabo dirigam ue facilius? Hinc igitur audio primordium quæstionis extitisse. Nam cum tu percontareris Alexander unumquemq; seniorum de quodam loco in lege scripto, uel de uanissima quæstione potius sententiam rogares, tu quod omnino cogitandum non erat, aut perpetuò silentio damnandum, si comprehendisses Arri istic animum inconsiderate induxisti. Quamobrem quod erupisset ista uestra dissensio, cõflatum concilium est, & sancta plebs integri compage corporis absoluta discelsit in partes uestras. Igitur utrobique parata uenia quam rem conseruus ex æquo & bono censebit esse, præcipiatis. Illud uerò qualetandem est? eiuscemodi nec initio quidem sciscitari, neque de his interrogatum respondere fas erat. Quæstiones enim istas nulla necessitate legis adductas, ab ocio contentioneq; profectas, etsi pro consuetudine quadam atque exercitatione fiant, tamen intra conceptum mentis includendæ & retinendæ sunt, neq; statim uulgi auribus nullo consilio committendæ. Quotus enim quisq; est qui rerum tantarum tamq; arduarum uim & facultatem intueri dilucidè aut dignè satis interpretari possit? Hoc ut unus aliquisagat ac pertractet facilè, quantam uulgi particulam attrahet ad sese? uel quis exquisitam, hoc in genere disserendi rationem lubrica præsertim atq; præcipiti uia consectetur? Ergo isto erit oratio cohibenda loco, ne uel imbecilla nostra natura, proposita re, cum inde se nequeat explicare, uel auditorum ingenium tardius quàm ut rei comprehensionem exactam ferat, utrauis de causa malè cogitare populus aut diuidi discindiq; cogatur. Quapropter incauta percontatio & responsio improuisa ueniam uicissim ne renuant: haud enim de principe quodam edicto legis occasio contentionis uestræ emersit, aut secta noui ritus ac religionis à uobis inducitur. Vestra eadem unaq; ratio est, ut ad communionis & societatis fidem descendere integrum sit. Nam uobis inter uos in re pertenui dissidentibus, immensum populum uestro concilio dispensari propter alienationem iniquum est: ac cum non decet, tam nefas esse planè creditur. Atqui mihi placet exemplum uestræ prudentiæ suggerere. Philosophorum (cuius ignari non estis) unum commune placitum est. & quanquam in effatis enunciatisq; discordant, ac longè distant inter se facultate scientiæ, nihilominus uno placiti uinculo colligãtur, & denuò conspirant. Hoc quando est ita, uos Dei magni famulos in tali uitæ instituto simili mente esse non ne multo est æquius? Hanc rem diligentius expendamus & prudentius. An benè se res habet intercedere fratrem fratri? concilij reuerentiam dissidio impio secari per uos stultamq; uerborum pertinaciam? qui de minimè necessarijs tenuibusq; rixamur. Ista uulgi potius sunt, atq; puerili amentiæ, quàm sacerdotum & prudentum naturæ aptiora. Discedamus à tentatione dæmonij lubenter. Magnus est Deus noster & seruator: ille lucem ad omnes communiter extendit. Eius numine, quod studium mihi capessere animus fuit, hoc per uos conficere maximè liceat: ut plebem alloquendo, tum inseruiendo quædam, tum denique cohortando ad societatem concilij reducam. Nam postquam, ut dixi, fides una nobis est atque hæresis nostræ cognitio, præceptumq; legis in id omnibus partibus incumbit, ut in unam animam uniuersum concludat: quade re subtili nimis etiam nimium exarsistis. Illud quia ad uim facultatemq; totius minimè attinet, alieniore animo ut sitis inter uos, facere non debet: quod ego non eò dico, ut necesse uobis sit qualis est illa quæstio depacisci quic-

Etsi Philosophi in multas sectas diuisi sint omnes tamẽ cupiunt dici et esse Philosophi.

quicquam in eam rem. potest enim concilij maiestas asseruari uobis illibata, ac per omnia societas atque coniunctio custoditi, etsi aliqua ex parte leuissimè discordetis. Neque enim una uoluntas omnium in omnibus, neque singulare ingenium consilia nostra dispensat. Itaque de numine fides una esto, unica noticia, unum de Deo placitum. Quæ autem de minimis ad subtilissimam rationem inter uos expendere libuerit, hic si diuersa opinione eritis, intus sunt continenda, atque arcanis obseruanda. Vis amicitiæ in primis ac ueritatis fides, ipsa legis obseruãtia, ne fluctuetur apud uos. Redite precor in pristinam gratiam, & complexum uterque pro se populo reddite uos, atq; demum lustratis animis inter uos cognoscite. Fit enim secundum inimicitias, ut sit amicitia iucundior, omni deposita simultate: mihi tranquillos dies & noctes curis absolutas adducite, quo sit aliqua lucis atq; adeò reliquæ uitæ iucunditas. Ingemiscendum aliàs, & profundendis lachrymis indulgendum: ac ne sine modestia quidem uitæ spes adeunda. Nam qui fiat ut animo bene firmo esse aut consistere mente queam? populo Dei, meis conseruis inquàm, tam praua, tam exitiosa cõcertatione disiunctis? Inde uerò mœroris mei summam accipite. Dudum cum Nicomediæ essem, constitueram in Orientem ad uos. Equidem iam bonã partem eram uobiscum, quando festinantem me hoc nuncium de cursu meo reuocauit auertitq;, ne oculi percipere cogerentur, quod neq; ad aures putassem admitti posse. Quare uiam mihi sternit in Orientem concordia uestra, quam obstruxistis importuna discordia: facite ut possitis & uos & plebes exultantes aspici, proq; sociali amore & fœdere gratias elegantes excelso Deo reddere. Sic homo pius ecclesiæ pacem hac epistola procurabat, cui non solum fauens, sed uir ex animo dimittentis etiam probus, utq; est dictum, religiosus operam deuinxerat. At erat quàm ut quicquam possent literæ, malum omnino robustius, & iam decertantium rixa auctior, cum scelestus impetus omnem prouinciam Orientis peruadebat. Hic inuidentiæ cuiusdam & maligni dæmonis ecclesia labor.

DE VITA CONSTANTINI IMPERATORIS, *Liber tertius.*



Ta genius ille peruersus, osor recti, ecclesiæ fœlicitatem præ inuidia minimè ferens, procellam temporis atque turbinem pacis, ciusdem tempestatem excitauit. Etsi non commisit ille Deo charissimus Imperator, ut eorum quæ pertinerent ad se, non satageret: quin contrà quàm antè paulo inceptasset inclementia duritasque tyrannidis omnia moliens, nullo aduersario, nullo hoste abiret inferior. Nam qui longè aberant ab eo qui solus est, ui & necessitate inductos adstringebant illorum deorum cultui qui nusquam sunt. Ille nullos esse penitus ostendens, ad huius intelligentiam qui esset appellabat. Hi sermonibus exhorrendis de Christo cachinnum sustulisse non negant. Ille gloriabatur ea maximè cruce, totusque erat in tutela eius quam figebat impietas maledictis, familiam Christi diuexabant nulli uel lare uel focis relictis, in quos ille reduces conuehebat. infamauerant hi, uiros ille singulares imitandosque proponebat: bona publicabant, & fortunas euertebant hominum proborum, ille congiario cumulata restitui curabat. Hi calumnia usi sunt aduersum episcopos; at eorum ille uirtutem admirabilem honoribus, ipsos adeò consultis & tabulis omnino splendidiores effecit. Hi

Opponit Constantinum tyrannis persecutoribus.

solo adæquarunt omnia puluinaria, aras, ædiculas à culmine prostrauerũt. Ille in sublime tollere magnificè, locare nouas ex ærario suo mandabat. sacrosancta uolumina flammis abolere illi, cum multiplicabilem eorum seriem iste redimi de suo iuberet. Illi conuentum pontificum uspiam esse uetuerant. Iste omnium gentium episcopos ad sese conuocabat, interiore palatij domo frui, & mentæ comites esse dignabatur. Illi uenerabantur imaginum munere dæmonas: iste errorem nudabat, & sylua inutilem donariorum ijs quibus esset ex usu perpetuo dispertiebat. Illi domicilia deorum ambitiosius excolebant, iste ea potissimum destruebat quæ precij quantiuis esse superstitiosis arbitrabatur. Flagitioso cruciatu Dei familiam perdebant: hos ipse maleficos quantum pro numinis lenitate coercebat, huicmartyrum memoria recolenda nihil antiquius. Illi pium genus hominum palatijs abigebant, hic eò præsidens erat, ex sententia beneuolos & amicos fore intelligens. Hi sordibus obonij, morbo Tantalico animum subegerant: expansis ille magnificè & regiè thesauris, omnia largiter abundeq; diuidebat. confectæ cædes ab ijs infinitæ, aspiciebantq; ad hastam solum, & proscriptionem, cum Imperatore Constantino iudiciorum ensis usque pependerit intactus. Etenim in sua quæq; municipia distributæ nationes, paterna magis necessitudine quam necessaria iuris regula tractabantur. ad quæ respiciens aliquis, haud immeritò dixisset iniri nouellam uitam sibi uideri, luce inopinata illuminante caliginem, tamen opus agnoscere deificũ, confertis impijs ex æquo Imperatorem unum immissum. Nam postquam neque uisa neque tradita ex hominum memoria in ecclesiam ausi sunt, exempla noua inauditaque per ipsum Deus edidit, ut par erat atque miraculum uirtutis Imperatoriæ nuperum nouiciumque dici poterat. apud omnes Christum Dei censebat in primis. Id libere, nec appellatione salutifera occulta. Namque lepide sciteque de se in eam rem dicens, in uultu modò impresserat insignem illam notam. Modó se oblectabat illo trophæo: sed in tabula quoque editiore loco in uestibulo palatij posita prostituit omnium oculis incumbens (ut in pictura licuit) capiti suo salutare: feram autem hostilem & Ecclesiæ Christi opera tyrannidis oppugnatricem, specie draconis in præcipitium delabentis. Ipsum enim flexu multiplicabili uel anguem uel draconem oracula nostra dictitant. Id est, quamobrem infrà pedes missili traiectum atque in profundum ruentem pictatio cerato prodiderat, innuens quamuis occultè, nostri generis aduersarium occidione occidisse, cum ui trophæi suprà collocati ad caput in præcipitẽ internitionem iret. sensus hic erat in imagine atque florido colore latens. Me sanè tanti acuminis admiratio incessit, quam deliniabat ea spiritu suggerente quæ de fera uates ipsi proclamarunt: nempe admoturum Deum gladiũ magnum & horribilem draconi, hoc est serpenti fugitiuo, disperditurumque de mari draconem. Hanc imitationem ueri, pictorum umbris in imagine depromebat, hocq; cum summa animi uoluptate agebat. Illum uerò oppido commouit ecclesiæ Alexandrinorum, Thebaidis, Aegyptiq; pestifera turbatio, malignitati quidem & inuidiæ perfecta. Nam in episcopos episcopi, plebes in plebem ibant in urbibus ac parum absuit quin & coirent & contunderent sese quidam mente capti & desperati conari nefanda, regias imagines moliri audere. Quæ non tam impulerunt ad iracundiam, quam dolorem Imperatori quem de seuera illa insania dementiaq; cœperat, exulcerarunt. Hunc morbus alius prælongus difficilisq; præuerterat de ferijs paschę antiqua discordia: partim aiebant insequendam consuetudinẽ Iudæorum: partim non esse

esse committendum, ut hora non obseruaretur exactè illorum errore, qui Euangelij gratia alieni essent. Proinde longo iam tempore nusquam idem sentiente populo, magna confusione diuini ritus istam peruersionem temporum, maximos afferre motus, his qui festum solennemq; diem agerent: alijs, cum se ieiunio & labore macerant, alijs laxantibus ad ocia, & se remissioni tradentibus. Ex quo factum est, ut adæquato diuortio malum esset insanabile. soli uerò nihil non facilè potenti Deo paratum ad ea subsidium erat uno in terris beneficentiæ ministro Constantino. Qui cum de his allatũ est, & se cognouit infecta re nequicquam rescripsisse, colligẽs animum, nisi debellato cum hoste, quamuis obscuro, totam ecclesiã perturbante, quiescendum negauit. Inde quasi agmine quadrato diuinitus ad eum ductutus agere conuentum orbis terræ, frequentiam episcoporum honorarijs literis cõparare atq; eniti. Neq; uerò simplex erat iussum, adiuncta regia uoluntate & nutu. Hos enim publicè dimitti fecerat, illos instratorum iumentorum multitudine adiuuerat. Vrbs isti concilio designata non incongruè, Bithyniorum gentis una, de nomine uictoriæ Nicea appellata. quo igitur loci primum conuolarat mandatum, omnes ut à carceribus alacres accelerare cursum. Nam trahebat siue boni spes, siue communio pacis, & rei nouæ illius Domini uultus. Vbi conuentum est, ilicò diuinum opus aspici: siquidem non solùm animis, at etiam locis & regionibus abiuncti, quantum populi remoti inter se distant, illuc coiuere. Hic una ciuitate quasi corona immensa sacerdotum uariè conserta floribus habebatur. Ergo tota Europa, Libyes, & Asia, quibus ecclesijs refertæ erant earum in unum locum uiri primarij, hoc est ipsæ ministerij Dei primitiæ uenerant. Tum ædicula precaria quodam ueluti numine capacior, admittere & Syros, & Cilices, & Phœnices, & Arabes, & Palæstinos, Aegyptios insuper, & Thebanos, & Afros, & à fluminum diuortijs interiecta patria profectos. Persa aderat episcopus, & Scytha choreæ non deerat: electos emisere Galatia, Pamphylia, Cappadocia, Phrygia, Pontus & Asia. Verùm isthuc etiam uenere obuiam Thraces, Achæi, Macedones, Epirotæ, atque multo ijs siti remotius. Hispanus ille percelebris unus erat isto loco confessor. Attamen senio impeditus episcopus Imperatoriæ ciuitatis adesse non potuit, sed illius ordinem presbyteri suppleuere. Talem post homines natos uno concordiæ nodo alligauit unicam corollam seruatori Christo, quam singulare monumentum gratiæ deuictis hostibus & exemplum Apostolici chori seculo nostro posuit: sic enim accepimus, horum tempore coisse religiosos ex omni gente homines, in quibus Parthi, Medi, & Elamitæ; quique Mesopotamiam, Iudæam, Cappadociam, Pontum, Asiam, Phrygiamque & Pamphyliam incolerent, Aegyptum etiam, & Libyæ partes ad Cyrenen. Huc peregrè profecti aderant, cum Romani, tum aduenæ Cretenses & Arabes. Isthuc modò non aderat, tantus ex ministerio Dei conuentus ut appellari posset. Hoc in cœtu fuere episcopi supra ducentos quinquaginta: quos qui sectabantur presbyteri, diaconi, & uniuersi ordinis assecłæ, si ad alios adiungas, uix numero comprehendes. Ibi qui diuinum munus obiere, doctrina alij disciplinisq; præstabant, alij modestia, abstinenterq; & tolerantèr acta uita. Horum medij nonnulli, quidam ætate uenerabiles, iuuentute uegeraq; mente præstabiles alij, & in ordinem ascripti nuper alij, quibus ab Imperatore commeatus large omnibus suppetebat. Cùm dies affuit ad concilium præscripta, in qua rescindenda erat opinionum ambiguitas, in ædem palatij medioximam cùm magnitudine, tum potione subselliorum ad utrumq; latus, àtq;

Constantinus Synodum Nicenam indixit.

Episcopi è quibus præuincijs Niceam uenerint.

Imperator cõmeatũ episcopis suppeditauit.

ordine multiplici ornatiorem, aduocati conuenerant, ac suo quisque loco consederant. Postquam aptè sessum est, taciti omnes ingressum regium expectare operiricp. Venit intro primùm unus atcp alter ex regijs, tum deinde alius. Etiam præiere nonnulli non armati uel hastati, sed amici præcipui & fidelissimi Imperatoris. dato subinde signo assurgentibus uniuersis, ut aliquis à Deo nuncius ibat meditullio spacij, fulgore muricis ardentissimoque lumine collucens: auro præterea, gemmiscp prælucidis illustris, utè corporis ornatu: sed animam religio & Dei timor exornabat, ut ex oculis tellure commoratis, rubore in uultu, & ipso ingressu unusquiscp poterat æstimare. Idem species, ac cum nemine conferenda proceritas astantium duntaxat, idem pulchritudo oris, idem membrorum decor, idem robur inexpugnabile prædicabat: quæ cum morum modestia & facilitate coniuncta, nobilius ingenium quam dici possit afferebant. Vt uerò constitit ad initium primi ordinis, sella quadam ex auro modicâ parata, non prius in ea sedit, quàm annuissent episcopi. Quod secundum Imperatorem ab omnibus est factum. Itaque primas habens dextri episcoporum ordinis surrexit, regemque modica oratione alloquens, ad extremum singulares hymno gratias egit omnipotenti Deo. qui quam primùm sedit, in eodem silentio tenuere omnes in regem oculos. Ille demum aspectu lepido serenocp dispiciens, coactò intus ad se mente, sic est leni & benigna uoce exorsus: Mihi quidem id non postremum uotum erat amici, uestro choro aliquando uti frui liceret. Hoc cum sum assequutus, uniuersitatis huiusce regi gratiam illam fateor debere, qui mihi rem præstitit omni expectatione meliorem. Vos, inquam unò loco eandemcp sententiam omnium uidere. labem igitur inuidia dignitati uestræ minimè afferat, necp deleta funditus impietate atque tyrannide præsidio numinis, conspergat opprobrio regem diuinam genius improbus. Mihi ita uidetur: omni pugna grauiorē & acerbiorem, tanquam ciuilem in ecclesia dissensionem, prorsuscp tristiora hæc esse, quàm quæ foris eueniunt. Itácp superatis aduersarijs ope cœlesti, hoc reliqui mihi faciebam, gratiam Deo referrem: quorumcp eius causa uindex extitissem, hisce demum gratularer. cum de uestro dissidio præter spem audiui primùm. Quod ego nuncium alteri secundum non feci. Verùm istam prouinciâ curationis hercle precariam deposcens, ocyus accersiui cūctos: qui me cœtus ualde reficit & recreat. Tum autem mihi uita contigerit ex uoto, si uidebo consensum atcp conuenientiam animorum, unum pacis & concordiæ omnia dirigentem concentum. Vos huius esse laudatores oportuit, qui cōsecrati Deo estis. Rem igitur amici ne protrahite, causam discordiæ inde iam tollere occipite, quomodo ministros altissimi oportet, nodum pací noxium resoluite. Quod à Deo constitutū est, hac una ratione institeritis, & mihi gratū præcipuè feceritis. His Latinè dictis usus est interprete, suamcp rationem concilij præfectis explicauit. Quo initio partim accusare proximos, partim querelis admixtis sese purgare. Hæc utrobicp primùm dicta, quamuis obliquè magnacp totius negocij obscuratione, tamen benignè patientercp audiuit, & intentionem singulorum pedetentim accepit. Atcp uices alternas ab his cum modò staret, nunc contrà faueret illis, adduxit paulatim contentè altercantes. Nam alloquens unumquencp Græcè (cuius eloquij nō erat expers) atcp modicè, suauis ille quidē & dulcis est habitus: hos persuasos, exoratos alios, alioscp laudatos, omnes impellens ad concordiam. Vscp dum una mente & sententia, de quib. antea controuersum erat uti conspirarent, uti fides unica minimè discors, uti unum tēpus apud omnes esset in paschate peruicit. Consultum ad autoritatem & uim uniuscuiuscp manu subinde obsignatum est: hiscp transactis, alteram uictoriam de hoste ecclesiæ reportare dicens, ea causa solennem diem atcp triumphalem egit. Tum se regni uicesimus ille annus absoluto cursu retulerat ad idem caput. Hoc temporis & populi frequentia, & nundino celebre fuit. Episcopis Imperator ipse conuiuator & compotor, ac si per eos dignum Deo sacrificium persolueret. Episcopus aberat à conuiuio regio nemo. Cuius illud explicari satis nulla oratione potest. Armatorum corona ense nudo in uestibulo regiæ stationem habebat, inter quos ingredi secure domum uscp interiorem poterant. Ibi discumbere nonnulli, quidam se ad quietem componere: profectò basilicæ Christi species aliqua atcp somniū, quod plurimum à re abesset, apparebat. Ac postquam in conuiuio cuncta magnifice, omnes amplexatus Imperator, ad priorem magnificentiam hoc adiunxit, ut ordine suo quemque munere donaret hospitali. Qui non aderant, huius senatus ut meminisse possent effecit epistola, quam isto rerum commentario quasi cippo descriptam apponemus.

Concio Patrū.

Imperator in Concilio.

Oratio Episcopi cuiusdā: nō aūt Rom. pontificis legatorum.

Imperator præses Synodi.

Acta Synodi Nicenæ.

CONST. AVG. ECCLESIIS.

Ex facili reipublicæ nostræ cursu, quanta benignitas insit in diuino potentatu, perdidici. Idcirco putaui mihi ante omnia id enitendum esse, ut in ecclesia fides una fœlicissimi populi, sincera charitas & religio aduersus autorem omnium Deum nusquam discrepans obseruetur. Hoc quia nisi titubanter & incertè si non omnes aut plurimi simul episcopi coissent, esletque de his dijudicatum, quæ ad sanctissimum ritum spectant, esse nullo modo poterat: eam ob rem ego tanquam de uobis aliquis ubi frequentissimi conuenere, affui. Nec enim inficias eo, quæ res est mihi multo iucundissima, uester esse conseruus. Itaque de omnibus est quæsitum sedulò, donec eluxit illud uniuersorum consensione quod inspectanti numini probatum est, ut ambigui uel illius generis quod dissidium inuehat, reliquum nihil sit. Hic cum esset agitatum de festo die Paschatis, in eam sententiam itum est, omnes ubique gētium hoc nomine celebrem habere diem unum eundemque, bene esse. Quid enim pulchrius, aut grauius accidere nobis possit, quàm aperta ratione & uno ordine cōstanter obseruare illum diem, ex quo immortalitatis expectatio tradita? Primùm istud indignum uisum est, hasce ferias ex consuetudine ludæorum agere, qui manus suas impurissimo scelere polluerunt, & animo cæco pro meritò oberrant: cum præsertim liceat abiecta gente ista rectius, quem primum diem ex tormento crucis adhuc obseruauimus, ad eandem rationem in futurum omne tempus exporrigere. Postea nihil nobis cum inimicissima ludæorum natione commune sit, à Seruatore nostro alteram uiam accepimus. Et sunt ritui sancto decentia & legitima curricula: ad quæ aggressi, istam conscientiam turpitudinis ablaqueabimus ô fratres. Est enim profecto absonum, istos ita iactare, non doctrina sua prætermissa, seruari isthuc non posse. Quid autem isti demum recti uiderí queant, qui trucidato hero, flagitioso parricidio admisso, lymphati, non ratione, uerùm impetu potius incitati, quocunque perduxerit innata rabies, hac sequuntur? Vnde ueritatem etiam hac in parte non uident, atque errore inemendato eodem anno alterum pasca celebrant. Ergo sequamur isto morbo animi aberrantes illos? Qua precor isthuc gratia? Nam uno uertente anno bis esse non feremus. Et, si ne hoc quidem propositum esset, huc animo, diligentia, studio, uoto, denique semper incumbere debebatis: integritatem uestram cum moribus improbissimorum hominū nullo commercio

Cum Iudæis nō esse obseruandū diē Paschæ.

mercio coniunctam uideri. Præterea considerare hoc oportet, ut in tanta te atque de festo singulari, quicquam interuenire diuortij nefas esse. Nam ferias unas huiusce nostræ libertatis & tormenti sacrosancti ipse ille tradidit assertor, ac unā colle ctā minimeq; dissitā ecclesiam suā uoluit. Eius partes quanquam locis abiunctæ sunt, uno spiritu quod est cœleste numen, nihilominus incalescit. Hoc uerò pro uestra prudentia cogitate quàm graue quàm minimè decens est, alios indulgere conuiuiorum delictis, alios id ocij dies eosdem ieiunijs addicere: secundum pascha, festæ alios remissioni sese dedere, cum alijs esuriales ex constituto feriæ sunt agendæ. Quare uoluit hoc emendari prouidentia, & ad unum exemplum reuocari: quam rem à nemine existimo ignoratam. Istudque ita corrigendum est, ut cum parricidis heriqúe interfectoribus omnino nulla communio societatis esse debeat. Est autem elegans institutio, quam ad Occidentem, Meridiem, & Aquilonem, quibusdam etiam locis ad Orientem in ecclesia esse constat. Propterea ad summam pertinere omnes arbitrati sunt, egoque nihil horum mihi displicere spopondi, quo ista libentius acciperentur à uobis, quæ Romana urbs, Africa, Italia uniuersa, Aegyptus, Hispania, Gallia, Britannia, Libya, tota Græcia, Pontus, Asia, Cilicia, iudicio uno, una conspiratione retinent. Ea loca non modò ecclesiarum multitudine superare, uerùm etiam eandem communemque uoluntatem animorum esse uelle, rem sanctam existimare debetis. Hoc profectò uidetur recta ratio postulare, atque nullum cum perfidia ludæorum coniunctionis uinculum habere, ut semel dictum sit, ita omnibus est uisum, sacrum diem Paschatis eundem esse: neq; enim oportet illam sanctitatem aliqua discrepantia infici. Cui sententiæ altipulari satius est. Hæc cum ita se habent, hancce gratiam & cœleste mandatum recipite æquis animis. Nam episcoporum consessu uenerabili, quo quidq; consilio fit, omne acceptum numini refertur. Ideò fratribus, ut acta sint hæc exponere, nostramq; diei sacrosanctæ rationem atq; obseruationem admittere debetis, ut cum uenerim ad uos, & instituta uestra diu mihi desiderata uiderim, unum diem, hoc est hasce ferias celebrem uobiscum, ac isto genere uobiscum etiam censeat. Illud enim intelligam, atrocitatem & acerbitatem diaboli, cœlesti potestate, mea quidem interuenientе opera deletam, fidem uestram atq; concordiam apud omnes maximè uigere. Vos dilectissimi fratres conseruet Deus. Huius ponderis epistolas singulas dedit in unamquamque prouinciam, ut tanquam in speculo sincerita tem mentis inspicerent. Cùm autem erat iam concilium dimittendum, uerba fecit ex composito ad episcopos uno omnes die appellatos. Hoc consilium eius fuit, uti pro se quisq; pacem enniterentur, cōtrouersias ablegarēt, atq; omnem ubi quis existimatione doctrinæ præstaret inuidentiam: in unius uirtute publicum bonum esse, modò insignes illi de se modice sentirēt: quiq; natura essent imbecilla, benignè cederent ijs: quia quod absolutum, idē ubiq; rarissimum sit: uicissim ueniā darent impingentib. ad minuta quædam & humana, quæ sanè multa sunt, hunc concentum discordiæ expertem maximi pendentes. Nimirum ut cachinni occasio tollerēt ab his qui legem sanctam uexare maledictis usq; paratissimi sunt. Tametsi enim omnes saluos fieri maximè oporteat, (si nostrę rationis æmuli sint) considerēt, haud omnib. ex æquo fore disciplinis imbui. Quidam mensarum assecla nihil amitterē pestiuum: prēsare alij malunt, & honorib. obrepere: iungere dexteras alij, resalutareq; lautitijs alij delectantur, ac omnino pauci literarū amatores amiciq; ueritatis. Idcircò medici instar, ut quidq; cuiq; accommodatū erit, hoc

hoc salutis causa tribuere, quò plane doctrina salutaris inter omnes ubique floreat. Horum plurimùm admonuit, atq; ita desijt loqui, supplicarent obnixè Deo, precesq; pro Imperatore diligentissimè funderēt. Quibus digestis, ad sua redire quemq; permisit, omnesq; lætanti animo ad iter ingressi sunt. Cæterùm mens una omnium ad concentum intenta coram Imperatore, tanquam singularem mòlem corporis homines adeò dissitos habebat. Exultans igitur optimè atq; fœlicissimè administrata re, literas ad eos dabat, qui senatui non interfuerant, ut ij fructum longè fœcundissimum legerent ipsi plebi, ne exceptis quidem agricolis amplissimum & uberrimum congiarium diuidebat. Hoc ille modo uicesimum imperij uertentem annum excolebat. atqui pacificis uniuersis, inter Aegyptios illa contentio erat, in qua nihil æqui inesse posset, atq; Imperatorem si non incenderet ad iram, tamen ad modum perturbaret. Itaq; patres appellatos, & altissimi prophetas, honore deniq; præcipuo semper habitos iterum aduocauit, toleranterq; ut antea in tercessis: ornauit etiam muneribus iterum: diarium per epistolam misit, atq; placita senatus à se confirmata obsignauit. Postremò obsecrauit, uti consensionem tenerent, ecclesiam ne contruncarent, extremiq; iudicij recordationem resumerent. Hæc omnia rescripto singulari. Sed infinita generis huiusce dedit alia plurimis epistolis, illa dispensans ordinansq; admonitis episcopis, ecclesiæ quę commodare possent. Plebem etiam'num alloquebatur, esse fratres illos & conseruos ecclesiæ homines dictitabat, homo ipse beatissimus. Isthæc autem instituto peculiari persequenda aliàs, ne quod agimus, hoc est historiam conuellant. Aliud in hominum memoria multo maximum postea exequutus est. hoc uerò est eiusmodi. Dominicæ resurrectionis eximium fœlicemque illum locum, uenerabilem omnibus, atque preciosum in primis esse reddendum sibi duxit. Aedem porro sacram moliri, haud impiè istud, at impulsus ab ipsius spiritu assertoris. Impurissimi quidam, aut omne dæmonum genus eorum usu & opera potius id sibi negotij dederunt, insigne monimentum illud immortalitatis obliuione sempiterna, tenebrisque obruerent: in quo, radiatus angelus, ille qui è summo cœlo uenerat, lapidem reuoluit ab illorum mente qui duruerant in silicem, uiuentemq; in mortuis adhuc esse crediderant. In quo mulieribus ea retulit, pro quibus Euangelia deberi fatendum est. Omnino lapidem amouit ab animis illarum, ex quo fide esse nulla cœperant ad honorem gloriamque requisiti. Salutis antrum quidam impij sceleristiq;, ex hominum memoria depellere parum erudito consilio, atque obtegere ueritatem decreuerant. Ibi multis ærumnis alicunde importata terra locum operiunt, alteq; attollunt. Exinde stratum lapide aggerem ita adornarunt, ut infrà sideràt illa specus, atque prorsus absorberetur. Hic quasi confecto negotio, infame animarum sepulchrum extruxere supra, secessum umbrarum tenebricosum sala cigenio Veneris addicentes, impuraque sacrificia prosanis altaribus instaurantes. Haud enim aliter euenire posse, quam si tam ominosa, tam spurcatituum lege specum illam salutis opprimerent. Nam miseri non intelligebant se aduersari naturæ, cum putarent illum qui de morte laureā est reuinctus ocultum sinere, id pertractatè à se confectum & administratum: uel ipsum terras illustrantem solem ueterem uiam ingressum generi uniuerso incognitum relinquere: præsertim cum inde animos illuminet, atque mundum repleat ardore & splendore diuina uis. Etsi impiorum illæ contra ueritatem machinationes diutissimè permāsere, nec imperator aut prætor uspiam idoneus habitus est, hoc excepto uno amantissimo Dei regnatoris, afflatuq;

Synodus Nicena finita.

Aegyptiosquā topere cōcitare studuerit Constantinus.

Templa Constantino iubente exstructa.

flatuque tum incitato. Qui quem locum prædiximus insidijs & congerie hostili non passus est immergi, obliuioniq; & ignorationi tradi. In tanta qui dem perditorum malitia nunquam præuaricatus est: at appellato & implorato numine, lustrari locum iubet. Videlicet eius ratio ita erat. Id inquinatum perditè aduersaria manu sentire opem ipsius debere. simul ac imperatum, machinæ de summo prouolutæ coæquari solo, solui rumpiq; dæmonum imagines atq; erroris ædes. At qui præcipuus aut extremus ille minimè fuit labor. Mandat enim denuò Imperator longissimè reliquias huiusce loci ligna, lapides amandari, quòd est penè cum dicto consummatum: uerùm neq; illud satis. Nam solum in auguratum & altè defossum exportata, quasi dæmonum colluuie sorderet, humo, curauit, & ilico absoluit hic cum diuersum subinde pateret æquor effossa terra. præter spem ipsum extitit, excellens sanctumq; resurrectionis salutiferæ testimonium. cuius similem speciem accepisse antrum uisum est, quia tenebris immersum rursus in lucem prodijsset. Vbi qui spectatum adirent, explicatè seriem miraculorum ostendebat, & omnino melius quàm ut ulla uoce fiat resurrectionem Seruatoris asseuerabat. Postmodum edicto pio, regio tamen sumptu, ad antrum construi templum iubet, ut si futuri certus, ad hoc agendum iamdiu animũ appulisset. tum præfectis in Oriente mandat opus erogatione largissima cum sublime diuitijs, tum magnitudine insigne: Episcopo tenenti Hierosolymis ecclesiæ gubernacula rescripsit, ut insequitur. In quo saluberrimam fidei rationem clarissima uoce significat.

Sepulchri Dominici repurgatio.

VICT. CONST. MAX. MACARIO.

Epistola Constantini ad Macarium Episcopum Hierosolymitanum, de fabrica Tẽpli Dominici sepulchri.

Tanta est Dei nostri benignitas, nulla ut uerborum officia præsente miraculo digna satis esse queant. hoc enim admirationem omnem stuporem præterit, indicium tormenti sacratissimi tot annis humo sepultum, usque dum interfecto communi hoste liberæ familiæ apparuit ignorari. Ac si qui sunt in orbe terrarum hominum opinione bene docti congredi uelint, atque pro re dignè proloqui, suum tutari locum ne momento quidem poterunt. Nam omnem mentem capacem humani cogitati admirabilitas huiusce rei, tanto superat, quanto cœlestes ad consistendum humanis instructiores sunt. Ob id ille primus & summus est scopus, ut quantum in dies admiranda nouitate se ueri fides explicat, tanto animi nostri legis atq; temperantiæ studiosiores sint. Quam rem autem incognitam puto nemini, cupio ut quisq; existimet ante omnia mihi curę esse locum angustum iussu diuino lustratum à me, atq; inani simulacrorum pondere exolutum, uti faciam molimine ædificij illustriorem. Nam primùm numine sacer est, & exinuecta fide etiam nobilior. Itaque oportet agere te solerter, & necessaria prouidere sigillatim, ut non basilicam digniorem modò omnium, uerùm ita rem comparare quę urbium uniuersarum totam eo in genere pulchritudinem superet. Ac de tollendo pariete uenusteque & affabrè faciendo, Dracilianus ille noster qui prouinciarum partes agit, atque isti prouinciæ præsidet, istam mihi recepit omnimodam curam. Ego pro mea religione iussi quæ de te rescissent, artifices inquam, & operarios, omniaque ad ædificandum necessaria dimitti procurarent. de columnis ac marmore quæ præstare iudicabis, etsi spectata à nobis sint perscribas, ut quæ quoque opus sunt edocti per te, qui unde'ue perferri possint, uideamus. Basilicæ fornicem renidere lacunari aut alio opificij genere, tuum in ea re iudicium requiro. si erit laquear, eleganter inaurari poterunt ipsa spacia. tu quantum uirtute tua potes, illi facito intelligant operis arbitri protinus, & quibus operis

operis & magistris, & quibus impensis opus est, sed ad me uideas uti nõ solum de marmore columnis'ue, sed etiam de laqueari, si putabunt esse pulchrius, afferatur. Te charissimè frater conseruet Deus. Id rescripsit, & statim in rem itum est. Ad testem salutis nostræ locum designata Noua Hierusalem ueteri aduersa per olim celebri, tum Dominica cæde uastata late in solitudinem extremam uenerat, & pro ciuium impietate pœnas dederat. Igitur è regione ducebat opus ingens atq; magnificum, triumphumq; de mortè prodigè collocabat. Est illa fortasse noua Hierusalem, de qua permulta diuinitus & dicuntur, & cantantur oratione bene lõga in uaticinijs & responsis. Primùm totius operis caput ille specus exornatus est, in quo angelus ominoso splendore alteros à seruatore natales ostensos annunciabat. Ornatu uario & columnarum delectu censendum in primis illud exegerat, animus ad gloriam excitatus. Inde ad locum transijt expositum fœlici aure laxissimum, quem excellenti lapide instratum amplissima porticu in triangulum posita comprehendit. antro aduersum latus (id aspiciebat ad ortum solis) habebat adiunctam ædem Imperatori consecratam, in quà modici nihil immensitate altitudinum, latitudinum, longitudinum. Intus incrustatũ uarie materia marmoris opus, expositi foris ad unguem lapides, illi quidẽ polituli, atq; illam speciem præbentes, ut ornatum marmoreum nemo quæret. Extra ad contignationem posita plumbi copia tempestatis hybernę uindex. Interiorem partem insignitam laquearibus & sculptura, tanquam ingens pelagus expansam toto domicilio, complexu particularum inter se continente distentam, inauratã, resplendentem undiq; perfecerat. Aequata longitudini ædis utrinq; bina uestibula, tectis æquè auro distinctissimè asperis: apposita cum subterraneis adeundis, tum inuisendis editioridus. Illa pro domo columnas insistebant: intus assurgebant adiecta pila specie admirabili exornata. Portæ tres ad ortum multitudinem adeuntium capiebant. in conspectu harum corollarium operis ad umbilicum palatij, erat orbe dimidiato, cincto duodecim columellis (hic est apostolorum Christi numerus) argenti fimbria in uertice honestatis. Id donarij perpulchri, Deo suo faciendũ, locauerat. Vnde progressis ad ædis introitum, spacium subdiale excipiebat, tum pergula porticusq;, deinde portę atrij, postremò forum ipsum latissimum. In quo uestibulum descripte compositum foris inambulãtibus, interiorem magnificentiam admirabilem ostendebat. Hoc igitur ornatu sumptuq; regio construxit, expositum Dominicæ resurrectionis exemplũ: sed huc accessit aurearum imaginum argentearumq; uis infinita. Adde gemmarum materiam, quarum concinne elaboratum decus ipsa mole multitudine & uarietate, persequi stylo per ocium non licet. Insuper alia duo loca specubus singulis reuerenda, studiose diligẽterq; auxit. Nam quo primùm loco uisus & humanè genitus est Christus, honorem illi debitũ tribuit. Vnde uerò in cœlum est assumptus, huiusce collis aut tumuli recordationem celebrem fecit. Hæc autem omnia ad obtinendam matri suæ toto æuo memoriam, quo de ea mentio superesset, egit. illa enim non pœnitendam operam in re tanta summo hominum bono porrexerat. Nam cum illuc intendisset animũ religiosi pectoris usuram, ut omnium regi penderet, atq; filium tanto nomine, & liberos eius Augustos, id est nepotes suos precariam gratiã refundere debere cogitaret. Anus acceleratione iuuenili, abijt oriente lustratura, populosq; inuisura, certè regia meditatione, ubi limine salutis adorato, iuxta illã uaticinationẽ congenulabimus ad locum in quo stetere pedes eius: frugem religionis suæ posteritati reliquit. Ergo ad quẽ salutatum iuerat,

Noua Hierusalem.